

modius effectui dare queant, judiciorum constituendorum potestatem habere, ut demonstrat *Knipschild de Jur. & privil. civit. Imper. l. 2. c. 8. n. 10.*

§. 5. Atque ex eo est, quod *Inclata Resp. Noribergensis*, vigore *Superioritatis Territorialis* sibi, tanquam Imperii Statui, competentis, propter varia Reip. negotia, quæ, teste *Knipschild cit. tr. l. 5. c. 2. n. 25.* in uno eodemque Senatu & judicio expediri commode nequeunt, non tantum salubriter, sed & jure, diversa, eaque decantatissima *Tribunalia primæ & secundæ instantiæ*, pro administranda Justitia atque tutandis Legibus constituerit, de quibus in præsentia delibare nonnulla lubet, ita quidem, ut prius *subalterna*, postmodum verò *Superius Appellationum Judicium*, licet soli filo, pertexamus. *CHRISTE JESU*, qui propediem venturus es ad judicandum vivos & mortuos, mentem, linguam manumq; dirige, hebes judicium acue, & æqua, si placet, Lectorum judicia propitiis largire.

## CAP. II.

### De Judicio, quod Civitatis sive Stadtgericht κατ' ἐξοχήν vocari consuevit.

#### S U M M A R I A.

§. 1. Ratio Methodi. §. 2. Judicii Etymologia & Homonymia. §. 3. Synonymia, ubi quid Placitum, quid Mallum sit? §. 4. *Judicii Civitatis* in Reform. Norimb. (de cujus denominatione incidenter) prima fit mentio. §. 4. Personæ Judicii hujus nobiliores sunt (1) Judex. §. 5. (2) Duo Senatores. §. 6. 7. 8. (3) Assesores, qui cum Romanis Assessoribus conferuntur. §. 9. (4) Scabini, Schöpsen/unde dicantur. §. 10. Causæ, quæ in hoc judicio tractantur, sunt Civiles, etiam pupillares. §. 11. Imò & matrimoniales, de quarum competentia §. 11. 12. 13. & 14. disquiruntur. §. 15. Deniq; quæ sunt voluntariæ jurisdictionis. §. 16. Exemptio illius ab aliis judiciis, non quidem Supremis Imperii, ipsis tamen subordinatis, & speciatim *Judicio Cæsareo-Provinciali Onoldino*. §. 17. Tempus hujus Judici: publicæ audientiæ quid? §. 18. Locus æstivus audientiarum publicarum. §. 19. Sala quid? *An die Salbringen / mit rechter Sal / Salbrief / Sallent / Salmans tren / gesalen / Salbücher.* §. 20. Locus hybernus. Locus & tempus sententiarum concipiendarum. §. 21. Processus hujus judici (1) remissivè, (2) rythmicè, & §. 22. (3) summatim relatus: Processus scilicet articulatus. §. 23. & 24. An post Rec. Imperii in hoc judicio tolerari possit? §. 25. Appellatio ab hoc Judicio.

§. 1. Quem-